

Cf. eundem in Matth. XVIII. Cf. et Pacianum epist. 3. ad Sympronianum, qui idem obiecerat.

Praeterea reiicienda est interpretatio protestantium, qui aiunt Christum verbis penes Mattheum contulisse potestatem declarandi quid honestum sit et licitum, quid dishonestum sit et illicitum. Et quidem si haec potestas dicatur esse nudum magisterium, quale cuique sapienti competere potest, patet eius falsitas, quia nudum magisterium nequit ligare seu vinculo morali obstringere homines. Potest quidem veritas percepta quodammodo obligare, sed non erit homo eam proponens, qui liget. Si autem dicatur esse potestas cum auctoritate exigendi ut fiat sicut decernitur, qualis potestas legislatoribus et principibus competit, huiusmodi quidem potestas verbis Domini significatur, sed non est sola, quemadmodum non est haec sola potestas, quae supremo reipublicae moderatori competit; ideoque interpretatio protestantium peccat vitio exclusionis, seu defectu totalitatis.

Neque Protestantes iuvat usus verborum *ligare* et *solvere* in Talmude, in quo cum praecipiendi, prohibendi, permittendi auctoritas significanda est, verba *ligare* et *solvere* fere semper adhibentur. Etenim 1) cum Misna prima pars et antiquissima Talmudis scripta sit vel exeunte seculo Christi secundo, vel ineunte tertio, non liquet quod huiusmodi usus loquendi cum hac exclusiva significatione vigerit in Palaestina aetate Christi, praesertim cum ex Iosepho homine illi aetati proximiore et eiusdem regionis satis constet oppositum (De Bello iudaico L. I. c. V. n. 2). 2) Retorquetur argumentum: auctoritas enim praecipiendi, prohibendi non est nudum magisterium, quo declaratur aliquid. Ex indole vero subiecti dignoscenda erit vis et extensio auctoritatis huius. Si ergo auctoritas haec fiat illi, cui claves regni datae sunt, et illis, qui pastores in Ecclesia sunt, erit dicenda vera auctoritas propria eorum, qui habent iurisdictionem in societate. Hinc Ioannes Morinus (De administratione Sacramenti Poenit. L. I. c. 8.) subicit iis verbis a Rabbinis usurpatis significationem quoque leges condendi, abrogandi, immutandi; et ita enarrat verba Christi ad Apostolos: quaecumque decreveritis, statueritis, definieritis in terra, erunt in caelo decreta, statuta, definita.

Instant Christo sermonem esse de rebus non de personis; non enim ait ὁντινος, sed δέ εἶπεν θησαυρος. Verum ubi generalis est sermo, praesertim si et ad res et ad personas referatur, subiectum universale per neutrum indicari solet: porro Petrus ita personas ligat et solvit, ut et earum actiones, crimina, poenas solvere aut ligare dici possit et debeat. Ut ergo Christus omnia complectetur, dixit universim: quodcumque ligaveris, quodcumque solveris.

Frusta rursus illud obiicitur, verba Ioan. XX. spectare ad remissionem, quae baptismo confertur idque probari auctoritate Patrum, qui ea verba de remissione peccatorum ope baptismi interpretati sunt. Haec iam obiecerat Paciano Sympronianus (epist. 7. Paciani), qui contendebat verba Ioannis complementum esse eorum, quae Matthei XXIV, 20 leguntur, et de solo baptismo omnia accipienda esse. Verum interpretatio Patrum 1. non est exclusiva; ideoque 2. ex verbis Ioannis colligunt potestatem remittendi peccata praeter aliam potestatem baptizandi. «Cur baptizatis (ait Ambrosius De Poenit. L. I. c. 8) si per hominem peccata dimittere non licet? In baptismo utique peccatorum omnium remissio est: quid interest utrum per poenitentiam an per lavacrum (en duplex modus remittendi peccata) hoc ius sibi datum vindicent Sacerdotes?» Quia vero 3. utraque potestas eundem ultimum terminum habet, et eisdem per se competit, probat Cyprianus argumento a simili haereticos non posse baptizare, quia non omnibus, sed Apostolis, quorum successores non sunt haeretici, facta est potestas remittendi peccata. Si enim solis Apostolis facta est potestas remittendi fidelibus peccata; ergo et eis solis facta est potestas baptizandi, quia et in baptismo remittuntur peccata: quod tamen argumentum non videtur satis idoneum. Pacianus vero negat eandem rem duobus illis significari, ac provocat ad verba Matth. XIX. quae de potestate erga subditos fideles exercenda certe loquuntur. Sane iam in commentario verborum Ioannis vidimus differre potestatem, quae ibi confertur, a potestate baptizandi.

IV. Interpretatio hactenus tradita testimoniorum Scripturae, est catholica, a Patribus adhibita et propugnata in controversia praesertim Novatiana. Novatianus enim sec. III. Romanam Sedem invadere cupiens, ubi legitimus Petri Successor sedebat Cornelius, schisma fecit cum Novato; utque suum schisma tueretur, haeresim, ut in more est, docuit vel instauravit, eam scilicet quam circa remissionem peccatorum seculo praecedente Montanus (1) invexerat. Error itaque Novatiani in eo erat quod negaverit primum posse Ecclesiam indulgentiam dare fidelibus lapsis in persecutione (Cyprianus epist. LII. ad Antonianum, et Auctor tractatus adv. Novatianum in Appendice Operum Cypriani, (2) et Hieronymus De Viris illustribus

(1) Montanistae concedebant esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, at negabant valere eius usum pro omnibus peccatis, distinguebant enim peccata in remissibilia et irremissibilia ab Ecclesia. Ab Ecclesia inquam: nam veniam a Deo pro quolibet peccato sperandam esse docebant, ideoque et poenitentiam agendum ut ea impetraretur etiam pro peccatis quae non posset remittere Ecclesia. Constant haec ex Tertulliano De Pudicitia cc. 2. 3.

(2) Imo hic scriptor coaevus Novatiano, qui vix exorta haeresi scribebat eratque Episcopus, testatur ibid. n. 13 docere Novatianos quod et poenitentia

c. 70), tum deinde posse Ecclesiam ulla crimina post baptismum admissa remittere (Ambrosius De Poenitentia L. I. c. 2. coll. c. 3. Epiphanius haer. 59. n. 1. Athanasius epist. 4. ad Serapionem n. 13). Quidam vero recentiores ex Novatianis, exceptis gravioribus criminibus, veniam levioribus relaxabant (Ambrosius l. c. c. 3.) Spectatis autem testimonii Cypriani in eadem epist. et Ambrosii l. c. c. 16. liquet non negasse ipsum poenitentiam esse agendum, ita tamen ut divino tantum iudicio peccatores committerentur et a Deo veniam expectarent, ut et Montanistae docebant (ex Tertul. l. c. in nota.). Ipse vero Novatianus nemini poenitentiam dabat, ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari a se faceret solutionem, inquit Ambrosius De Poenit. L. I. c. 3. Haeresis Novatiani damnata est in Synodo romana sub Cornelio, ut refert Eusebius H. E. VI. 43. qui tamen, errore graecis consueto, Novatum appellat. Hi haeretici se ipsos *Catharos* « quasi propter munditiam superbissime atque odiosissime nominabant », inquit Augustinus (De haeresibus n. XXXVIII); « quia scilicet a communione malorum, ne inquinarentur, abstinebant », qui tamen « nomen suum si voluissent agnoscere, mundanos se potius quam mundos vocassent », ut ait idem August. De Agon. Christ. c. 2.

Antithesis Patrum fuit, praeter baptismum, qui iterari nequit, potestatem esse in Ecclesia remittendi fidelibus peccata, remittendi quaelibet peccata, idque evidentissime revelatum esse verbis Matthaei et Ioannis, quae superius enarravimus.

Excipiebant Novatiani vel ea testimonia ad solos Apostolos spectare, vel de correptione fraterna (Matth. XVIII, 18) esse accipienda; vel saltem non omnia peccata posse Ecclesiam remittere, nempe peccatum blasphemiae in Spiritum S. (Matth. XII, 31) et peccatum ad mortem (1<sup>o</sup> Ioan. V, 16): imo nullum post baptismum posse remittere peccatum iuxta Paulum ad Hebr. VI, 4.

Contra probabant Patres ea testimonia ita ad Apostolos spectare, ut ad eorum quoque successores ex aequo pertineant; ea de auctoritate remittendi peccata accipienda esse, neque huic veritati quod omnia peccata remitti possint ab Ecclesia, obstat quae de peccato blasphemiae in Spiritum S. et de peccato ad mortem Scriptura docet, alioque prorsus spectare quae Paulus docet ad Hebreos.

Haec omnia adductis in medium testimonis demonstrari possunt. Et primo quidem constat Novatianos habitos ut haereticos fuisse ab Ecclesia; ii enim inter haereticos recensentur a Cypriano epist. LIII. ad Antonianum, ab Eusebio H. E. L. VI. c. 43. ab Epiphanius haer. LIX, lapsorum sit vana nec possit eis proficere ad salutem. Sed est cum aliis scriptoribus eius aetatis conferendus.

ab Augustino Lib. De haeresibus. Idem a Patribus illius aetatis confutati fuere. Cyprianus l. c. « Neminem putamus a fructu satisfaktionis et spe pacis arcendum; cum sciamus iuxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendum poenitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam poenitentibus non denegari... quod si invenimus a poenitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per Sacerdotes eius pacem posse concedi; admittendus est plangentium gemitus, et poenitentiae fructus dolentibus non negandus ».

Pacianus epist. I. ad Sympronianum Novatianum. « Solus hoc, inquires, Deus poterit. Verum est: sed et quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in caelis: et, quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in caelis? Cur hoc, si ligare hominibus, et solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? ergo et baptizare solis licet, et Spiritum S. dare solis, et solis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est ». Et ad responsionem novatianorum (quam suam deinceps protestantes fecerunt) Matth. XVIII, 18. sermonem esse de correptione fraterna, sic ait epist. III. ad eundem « Ais posuisse Matthaeum: si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum solus cum solo, ac statim subiunxisse Dominum: quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in caelo, ut ad fratris offensam pertinere videatur. Age non vides quod supra dicit: si in te peccaverit frater tuus, hic vero addit: amen dico vobis, quaecumque solveritis in terra etc. Illud uni concessit, hoc pluribus relaxavit; illud ipse solvit in quem admittitur, hoc vero Ecclesia: illud sine Sacerdote, sine fratribus; hoc ab omnibus impetratur, quaecumque solveritis, inquit; omnino nihil excipit: quaecumque, inquit, vel magna vel modica ».

Ambrosius De Poenit. L. I. c. 2. « Aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli maiorem iniuriam faciunt, quam ei cuius mandata volunt rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio dixerit Dominus Iesus: Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta sunt, quis est qui magis honoret, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et aliget et relaxet... Dominus enim par ius et solvendi esse voluit et ligandi ». Cf. c. 3. ubi omnia remitti docet a sacerdotibus.

Timotheus episc. Alexand. tertius ab Athanasio in Responsis canoniceis (Pitra Ius Eccl. graecor. T. I. p. 630 seqq.) ad interrogat. 36.

«Quae peccata omnino non habet veniam?» respondet: «Nullum. Omne peccatum declaratum (*έζομολογουμενον ἐνωπιον του Θεου*) in conspectu domini, condonabitur».

Augustinus De Agone Christiano c. 31. «Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro Petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt». Et in Serm. altero de utilitate agendae poenitentiae: «Fuerunt qui dicenter: quibusdam peccatis non esse dandam poenitentiam: et exclusi sunt de Ecclesia, et haeretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia».

Cyrillus Alex. Comm. in Ioann. L. XII in verba Christi: quorum remiseritis peccata etc. «Quonam modo aut qua ratione Servator dignitatem, quae soli divinae naturae debetur, suis discipulis attribuit?... Exstimat eos, qui divinum ac dominicum iam in se ipsis spiritum habebant, etiam remittendi peccata dominos esse debere, et ea retinendi quae voluerint, S. Spiritu, qui in iis inhabitat, remittente, vel etiam retinente pro nutu suo, quamvis id per homines forte fiat. Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis; vel enim dignos ad baptismum vocant, vel prohibent et a gratia divina arcent eos qui nondum sunt digni, vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiae peccantes corripiunt, vel poenitentibus ignoscunt».

Doctrinam Ecclesiae catholicae ita exhibet Tertullianus factus Montani sectator in lib. De Pudicitia c. 3. «Si enim, inquit (catholici scilicet), aliqua poenitentia caret venia, iam nec in totum agenda tibi est: nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agitur poenitentia, si caret venia. Omnis autem poenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur... Merito (inquit Tertullianus) utique ita opponunt, quoniam huius quoque poenitentiae fructum (remissionem nempe peccatorum) in sua potestate usurparerunt»: hoc enim posito, si venia ab Ecclesia concedenda non est, frustra poenitentia agitur.

Accedant Patres Concilii Lateranensis IV. cp. 1. «Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari». Et Patres Tridentini Sess. XIV, cp. 1. «Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata etc. Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, univer-

sorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam haereticos explosit, atque condemnavit».

Vides agi de remissione peccati coram Deo, qua anima liberatur a culpa, quam coram Deo contraxit: haec enim est remissio, cuius potestatem soli Deo reservabant Novatiani, sibi adserebat Ecclesia.

V. Quomodo igitur intelligenda verba Christi penes Math. XII, 31. 32. *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro.* Ut primum haec verba Christi in seipsis consideremus, advertimus heic non esse sermonem de Ecclesia eiusque potestate remittendi peccata, sed sermonem esse tantum de peccato, quod remittitur, vel non remittitur a Deo; Deus enim solus potest remittere et in hoc seculo et in futuro; ideoque de remissione, prout a Deo procedit, praecipue haec verba intelligenda sunt.

Hoc posito, verba haec *non remittetur* vel intelliguntur de potestatis remittendi defectu, h. e. non potest ab aliquo hoc peccatum remitti, vel de defectu voluntatis, h. e. is qui potest non vult remittere, vel de potentia ex parte peccatoris, quia nempe deest dispositio conveniens, vel de simplici negatione facti. Primus sensus est absurdus; Deus enim potest remittere quodvis peccatum. Alter quoque sensus est evidenter oppositus testificationi disertae Dei, qui in Scripturis testatur, nulla exceptione facta, se nolle mortem impii, sed ut convertatur et vivat; et impietatem impii non nocitiram ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Ezech. XXXIII, 11. 12: atque salvum futurum omnem qui invocaverit nomen Domini: Iobel II, 32. Cf. Isaiam I, 16. 18; LV, 6. 7; Ierem. XVIII, 8. Praeterea uterque sensus ab ipsis Novatianis relictus, qui quemlibet peccatorem Deo reconciliandum remittunt.

Restat ergo tertius aut quartus sensus. Et sane directe non exprimitur nisi factum: *non remittetur*, indirecte vero ad significatur etiam ratio cur non remittitur a Deo, quatenus denotatur gravitas delicti: *blasphemia in Spiritum S.* Haec vero gravitas delicti potest esse ratio huius facti vel ratione sui, vel ratione sui effectus, nempe defectus debitae poenitentiae, qui ad illud peccatum consequatur. Nequit vero ipsa gravitas in se ratio esse cur non remittatur a Deo; id enim directe adversatur testimoniis modo citatis. Ergo est defectus debitae poenitentiae. Enunciatur ergo huiusmodi peccatores non esse acturos poenitentiam, et sic non consecuturos remissionem. Porro adverte quod ut proposatio negans remissionem peccati sit

vera, non est necesse ut sit universalis universalitate metaphysica aut physica, sed satis est quod habeat universalitatem moralem; hanc enim solam postulat ratio ipsius facti, quae est defectus poenitentiae, haec enim non est impossibilis, cum per gratiam Dei omnia sint possibilia, et Deus quemvis peccatorem ad eam hortetur; sed spectata inde peccati est difficilis, et raro in praesenti providentiae ordine propter ipsius hominis culpam gratia efficax ad id conceditur a Deo. Itaque sensus est: cum difficile sit ut peccator de hoc peccato poenitentiam agat, nunquam, vel raro hoc peccatum remittitur a Deo.

Peccatum, de quo hic est sermo, est *blasphemia, blasphemia Spiritus*, h. e. *blasphemia in Spiritum Sanctum*. Ex contextu liquet peccatum hoc in eo esse positum, quod opera supernaturalia, quae Spiritui S. tribuuntur, quibus Deus se manifestat, Christique divinitas demonstratur, cuiusmodi sunt miracula, Daemoni adseruntur (Cf. Maldonatum in h. l. et Bellarminum De Poenit. L. II, c. 16). Manifestum est hos peccatores esse difficile emendabiles, tum quia hoc peccatum supponit animum pervicaciter, et habituali affectione adhaerentem malo, ita ut oderit lucem, qua sua turpitudine revelari ei posset; tum quia oculos avertens a luce non ex aestu passionis sed ex malitia voluntatis, firmitate quadam se in tenebris constituit.

Igitur non negatur possilitas remissionis huius peccati ex parte Dei, neque voluntas remittendi, si poenitentia agatur, sed solum assurit difficultas agendae poenitentiae, et raritas remissionis eius peccati. Cum ergo Ecclesia potestatem a Deo habeat remittendi omnia peccata, quae Deus potest et vult remittere, hoc quoque peccatum poterit Ecclesia remittere, atque ab Ecclesia non remittetur eo modo quo non remittitur a Deo; nempe difficile erit ut hoc peccatum ab Ecclesia remittatur, vel quia huiusmodi peccatores ad veniam impetrandam non accedent, vel quia dispositiones sufficietes non afferent; in qua secunda hypothesi Ecclesia circa eos potestatem suam exercebit non quidem remittendi, sed retinendi peccata. Lege Serm. 71. August. ut notatur inferius, qui est de hac re.

Et haec de testimonio in se spectato, ex cuius analysi patet ipsum proprie ad quaestionem nostram non spectare, neque enim contendimus Ecclesiam plura peccata remittere posse aut debere quam quae Deus vult et potest remittere.

Quid vero Patres? Quamvis Ioannes Morinus (De Administ. Poenitentiae L. IX, c. 28.) quosdam afferat Patres, qui sibi videntur putasse huiusmodi peccatum *adeo esse execrabile, ut illius reis veniam neque ab Ecclesia neque a Deo unquam concedendam esse dixerint*; re tamen accuratius inspecta, affirmandum est Patres tan-

tummodo difficilem putasse huiusmodi peccati remissionem, et quidem non propter defectum potestatis in Deo et in Ecclesia, sed propter defectum debitae dispositionis in peccatore.

Et sane ut 1) praeiudicio aliquo utamur, conferantur haec duo. Alterum, Patres generatim asserere peccatum omne ab Ecclesia remitti posse, ipsosque eos Patres, quos suae imaginationis testes vocat Morinus, alterum, quod ipsis imponit Morinus, Patres ab hac universalitate unum excepsisse peccatum in Spiritum S. Si haec vera sunt, necesse profecto fuit ut Patres clarum et distinctum conceptum haberent huius peccati, eumque aliis traderent, ne in administratione Sacramenti Poenitentiae haerere pluries deberent Sacerdotes, et ne limites suae auctoritatis praetergredierentur, aut sine absolutione dimitterent quos solvere possent.

Atqui conceptus clarus et distinctus huius peccati, qui communis sit Patribus, non reperitur, sed variae hac in re sententiae sunt penes diversos Patres; neque ulla modo iidem se sollicitos produnt definiendi accurate et statuendi ut rem certam cuiusmodi sit hoc peccatum. Porro si putassent Patres reapse hoc peccatum remitti non posse, aliter profecto se gessissent.

2.º Proprius. Illi iidem Patres qui afferuntur veluti docentes peccatum blasphemiae in Spiritum S. esse irremissible, ii diserte, nulla exceptione facta, docent omne peccatum poenitentibus remitti posse iisque argumentis probant, quae valeant pro quolibet peccato. Ita Cyprianus Epist. LII, ad Antonianum contra Novatianos. « Cum scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum; utique qui neminem vult perire, cupit peccatores poenitentiam ageare, et per poenitentiam denuo ad vitam venire... Neminem putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus iuxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendum poenitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam poenitentibus non denegari ». Pacianus epist. III ad Sympron. in ea verba Christi quaecumque solveritis etc. « Quaecumque solveritis, inquit, omnino nihil excipit, quaecumque, inquit, vel magna, vel parva ». Ambrosium ipse Morinus testatur in libris quos de Poenitentia contra Novatianos scripsit, nullum excipere peccatum. Et sane haec habet L. I, c. 1. « Si unum tantum crimen exciperent sacrilegii, cui veniam negarent, dure quidem, sed tamen divinis tantum redargui viderentur sententiis, assertionibus tamen suis convenienter. Dominus enim nullum crimen excipit, qui peccata donavit omnia ». Nisi ergo sibi Patres contradicere dicantur nequeunt traduci ut assertores illius exclusionis.

3.º Tandem si quae obiiciuntur testimonia perpendantur, liquebit

ibi de negata potestate Ecclesiae remittendi aliquod peccatum sermonem non haberi; sed tantum sententias eorum Patrum hunc sensum fundere, quod nempe propter malas hominum dispositiones peccatum aliquod difficilis sit remissionis, vel quod peccatum aliquod speciali quadam ratione excludat medium, quo possit quis se disponere ad poenitentiam et remissionem peccatorum consequi, ut est apostasia ab Ecclesia, in qua solum remittuntur peccata, ita ut, eadem mala voluntate manente, sit in sensu composito impossibilis conversio.

Exstat hac de re Sermo Augustini LXXI, qui totus versatur in interpretatione huius loci: aitque c. 5. s. Doctor quod « forte in omnibus s. Scripturis nulla maior quaestio, nulla difficultor invenitur ». Unde vero tanta difficultas, nisi quia aliunde constabat omnia peccata in Ecclesia remitti posse, nullaque erat ex sensu communi Ecclesiae interpretatio certa *blasphemiae in Spiritum S.*? Interpretatio autem Augustini haec est ut peccatum in Spiritum S. sit *impoenitentia*, non quidem passive tantum, sed, ut ita dicam, activa, cum ille scilicet « quem potentia Dei ad poenitentiam adducit, ipse secundum duritatem cordis sui, et cor impenitens thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui redret unicuique secundum opera eius... Haec omnino impenitentia non habet remissionem neque in hoc seculo neque in futuro: quia poenitentia impetrat remissionem peccatorum in hoc seculo, quae valeat in futuro ». Idem docet in Expositione inchoata Epist. ad Romanos n. 14. 21. Sed ceteros Patres eo vetustiores audiamus.

Hermas auctor Pastoris docet L. III, Simil. VI, c. 2. iis non esse per poenitentiam regressum ad vitam, qui in perpetuum a Deo discesserunt, et tradiderunt se desideriis huius seculi. Subdit tamen: « hi igitur non defecerunt a veritate, ideoque adhuc habent repositam spem vitae in poenitentia ». Et Simil. IX, c. 19. dicit iis poenitentiam esse propositam, aditum dari ad poenitentiam, qui nihil in Dominum suum dixerunt nefandum, negans id de iis qui id dixerint. At cap. 26 ibid. ait « si quis ex praecordiis inventus fuerit denegasse (Deum), an vitam assequi possit ignoro ». Verum quaestio adhuc integra manet de causa huius negationis. Est ne defectus potestatis in Ecclesia, an dispositionis in peccatore? Illud non affirmit Hermas; sed hoc potius indicat qui mentionem faciens tantum discessionis, utique liberae, perpetuae a Deo, et dictorum nefandorum in Dominum, quibus forte peccatum haeresis significatur, in haec videtur unice refundere rationem cur poenitentiam non suscipiant, quae in Ecclesia agenda est; quamdiu enim alieni a fide sunt et extra Ecclesiam, nequeunt agere poenitentiam. Unde cum ista per

visiones et repraesentationes agantur, negat Dominus iis *propositam* esse poenitentiam.

Haec iuvat scilicet interpretari secundum ea quae dixit in Lib. II. Mand. 4. « Dico tibi quod post vocationem illam magnam et sanctam, si quis tentatus fuerit a diabolo et peccaverit, unam poenitentiam habet. Si autem subinde (deinde?) peccet, et poenitentiam agat, non proderit homini talia agenti: difficile enim vivet Deo ». Scilicet heic primum non de potestate Ecclesiae remittendi peccata sermo est, sed de eo, quod requiritur ex parte peccatoris: tum non negat esse locum poenitentiae quoties homo peccaverit, sed asserit difficile esse quod relapsi veram poenitentiam agant, sine qua profecto exercitium potestatis clavum nihil valet; loquitur nimurum de fructu ultimo poenitentiae, qui est aeterna salus, quam difficile ait assecuturos eos, qui saepius peccarunt. Dico *saepius* non tantum *bis*; quia poenitentia publica et sollemnitas, de qua loqui videtur Hermas, unam eam dicens, non post unum peccatum aut primum tantum, sed post plura generatim agebatur; cum solum peccata quaedam graviora et manifesta ei subiicerentur. Et sane hunc scriptorem Montanistis obiiciebat Catholici; eum autem in patrocinium sui erroris facile convertisset Tertullianus, si similia docentem reperisset, cum eum probe nosset: sed ipsum e contrario prorsus reiicit, etsi prius laudavisset, appellans eum in lib. De Pudicitia c. 20. *apocryphum Pastorem moechorum*.

Auctor constitutionum Apostolicar. L. II, c. 23. negat veniam impetrare illum, « qui ex acie delinquit tentans Deum quasi non insequatur poenis improbos; quamvis illud secum dicat, bene mihi vertat Deus quoniam ambulabo in conversatione cordis mei ». Qui profecto ita est animo comparatus, quamdiu talis est, nemo dixerit veniam impetraturum.

Pacianus epist. III ad Sympron. expendens ea verba Christi sibi objecta, infert 1) « Aut ego fallor, aut istud exemplum contra te vallet; nam si omne peccatum et blasphemia relaxabitur, vides veniam poenitentibus non negari; ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia ». Tum declarato quid sit peccare in Spiritum S. « hoc est in Spiritum S. deliquisse, in ea blasphemasse, quae per Spiritum S. gerebantur »: subdit « In ceteris quippe peccatis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Haec caecitas est, non videre quod video, et Sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittitur: reliqua bonis poenitentibus, Symproniane frater, donantur ». Nihil est heic primo quod indicet non dimitti istud peccatum eo quod Ecclesia careat hac potestate. Imo secundo heic satis significatur rationem cur non dimitt-